

III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 55.

Politica Mortuorum Colloquia.

Elysium-Meum. - Die Martis 15 Aug. 1809. (Neov 28. Jul. 1809.)

Portenta omni die, quin omni momento
Vides homo! et non miraris?

De Civit. D.

Colloquentes Manes.

*Lazarus Spallanzani — quidam militaris Of-
ficialis Geometra.*

Officialis. Nisi oppido fallar, excellentem
physicis notionibus animam *Cel. Spallanzani*
contemplari mihi videor; salve docta anima,
salve!

Spallanz. Non errasti — diu ne jam tu
in his oris?

Offic. Die 6 hujus proelio horridissimo
& orbe excessi — ex quo tempore mens mea
distinetur dubio, quod sphaeram Physicis
attinet, —

Spallanz. Aisne Physicam? quod illud sit
scire cupio.

Offic. En rem totam: — Primis Julii
diebus Thermometrum Vindobonae 26 gra-
dum Caloris indicabat, iisdem diebus Pari-
siis solum, & Madriti 21. quamquam Vin-
dobona & Parisii circiter 49° latitudinis eju-

dem gradu, Madritum 41° contineantur; unde, amabo, haec inaequalitas? qui factum: ut Viennae calor intensior, quam Parisiis, imo quam in ipsa, Aequatori & Tropico propiore urbe Madrito? profecto res paradoxa!

Spallanz. Non equidem miror — gradus latitudinis non semper, & in omnibus regionibus, & quovis tempore dimensionem Caloris gradus diversorum Climatum serviunt; saepe fit: ut rationes accidentales incidant: quae radios solares in agendo impediunt. Ex longo tempore observatum est: saepe eodem tempore Holmiae majorem calorem fuisse, quam Parisiis.

Offic. Cum bona tua venia, Erudite Vir! equidem in hoc argumento aliud Systema mente efformabam.

Spallanz. Quod quaeso illud? audire cupio. —

Offic. Mea opinione telluri, aut atmosphaerae multa Salis nitri copia necessaria est, ad certum caloris gradum producendum. Jam vero primis Julii diebus tantum salis nitri in regione Viennae dispersum, atque in auras ejectum est, ut ex quo orbis existit, nihil simile evenire potuerit; *Quingentae* circiter machinae bellicae pulverem nitratum eructarunt, proin immensam Salis nitri quantitatem, & tot *centena millia* scloporum — omnes pariter nitrivomi pyrium pulverem ejectarunt; ex quo concludo: tantam nitri in regione Vindobonensi copiam in aerem & atmosphaeram agere, eam calore replere, thermo-

metrumque ad 26 gradum propellere debuisse, hæc mea nova est theoria, quam celeberrimo Physico ingenio, tibi *Clarissime Spallanzani* ! proponere decrevi, sententiam tuam excepturus. —

Spallanz. (leniter subridet) singularis sane *Architectura Systematis* !

Offic. Porro existimo : miliones machinarum bellicarum tam terra quam mari exoneratarum, quæ ex vicennio nitrum & lethum eructaverunt, mutationem ventorum quoque protulisse, unde inæqualitas & variatio anni temporum in relatione priorum annorum; demonstratum est : quamvis glandem plumbeam aëri, aut ejus columnæ aliam directionem indere debere; an non ita dicti typhones ictibus tormentorum disjiciuntur ut collabantur, ex quo elucet : quantam in aere confusionem & in directione ventorum mutationem producere debeant, quare censeo : tam diuturnis bellis, quibus tot machinæ bellicæ glandesque plumbeæ ex sclopiis in aëra evibratae, aërem succutiant, tantaque nitri vis in atmosphæram ejicitur, ventis proin per tremorem aëris nova directio inditur, continuis inquam bellis temperiem aeris, anni tempora, solis & lunæ in tellurem actionem aliam longe effectam esse, quam futura fuisset, si ea locum non habuissent ; — quid ultra? an non celebris Eruditus Belga contendit: periticas electricas, quibus fulmen derivatur, electricam aeris materiam, quod ille *Caloricum*

adpellat, attrahere, atmosphæræque detrahere, ut ea caloris inamminationem ferro debeat?

Spallanz. Quod Flandricum Eruditum attinet, pace tua dicere debeo: eum Physicum exiguum esse; quippe electrica materia, quæ ex conductoribus fulminis detrahitur, in ratione totius massæ electricæ materiæ se habet, ut I ad infinitum, ut gutta ad oceanum — præterea hæc materia nequaquam deperditur, verum ad alium solum locum derivatur. At ejedum ex 20 annis e bellicis machinis fistulisque ferreis nitrum, quod te ad condendam novam hypothesim permovebat, momentosum argumentum dubii est, quod ex superiore mundo adferens mihi substernebas. Hoc systema perinde ac assertio Eruditi Flandrici refutari potest — vis scloporum se ad superficiem telluris, nec ultra se extendit; neque majorem, quam fortassis ad vcluorem attingendam, altitudinem afficit; globus vibratus inferiorem aerem ad alium motum concitare potest quidem, verum miliones globorum totius altitudinis, quam aerea columna tenet, directionem turbando impares erunt, nitrum ante intera *iners, facta* explosione pristino statui restituitur, caloris fomes, quem effadit, extinguitur subito, & ut unum ad infinitum censi debet. —

Offic. — Nondum omne dubium mihi excussum est; sed *manum de tabula* — propero ad undas Lethes, corpus, continnis fatigiis fractum, abluturus. —

Spallanz. Erat terribile praelium, adventantes isthuc numerosi manes martialium virorum multa nobis retulerunt. De praelio diei 4. 5. & 6 hujus, prout & initis postea Induciiis edocti sumus. At at: quid, quaeso, vult praegrandis, & tantopere momentosa *Anglorum expeditio*? quorsum ea destinata videtur? dic, sedes, amabo.

Offic. Procul dubio in Hispanias. — Non videtur tamen Anglia hodie adeo leniter, ut usque factum, adversus Russiam agere; naves Anglicanae, versus Archangelopolim hostiles actus exeruerunt, & autoritate Petropolitinarum relationum de 5. hujus: Anglicanae Classicula inter Hochlandiam, & Coronam in conspectu Classis Russicae constitit, praelium navale exspectatur; facile statuere licet; quae ejus consecutaria futura essent.

Interim legitur in publicis paginis *novum Statisticum Schema Europae* auctore Cl. Professore *Harles* in *Camerale Correspondente*; ex quo vires reciprocae Europaeorum Statuum, & earum relatio intelligi possunt; & ex iis ad dependentiam eorum, aut independentiam argumentum duci; en ejus synopsis:

1) *Europa* complectitur in 176,058 □ miliaribus 160,000,000 Incolas. 2) *Germania* post etiam Cessionem laevae orae Rheni Galliae factam usque Pacem Posoniensem habet 10,250 □ miliaria & 28,000,000 Incolarum. 3) *Foedus Rhenanum* absque regno Vestphaliae numerat 4137 □ mill. & in his 9,900,500 Incolas. 4) *Imperium Gallicanum* cum foede-

rativis Statibus, utpote: Gallia Paeninsula
 Hispania & Italia, Helvetia, foedere Rhe-
 nano, Hollandia & Dania continet 35,846
 quad. mill. & 83,915,225 Incolas. 5) *foede-*
rati Galliae Status complectuntur 24,263 □
 numerum Incolarum 48,015,812. 6) *Regnum*
Westphaliae censet 1,962,303 Incolas. 7) *R.*
Bavariae continet 1760 □ & 3,250,000 Inc.
 8) *Regnum Saxoniae* 715 □ & 2,010,000 In-
 colas. 9) *Regnum Wittenbergae* 357 □ &
 1,155,000 Incolarum. 10) *M. Ducatus Ba-*
densis 268 □ cum 806,500 Incolas. 11) *Au-*
stria; (ante bellum hodiernum) habebat
 10,731 □ & 22,930,000 Incolas. 12) *Regn.*
Borussiae An. 1740 in adita regiminis Fri-
 derici II 2,000,000 Incolas, ante eruptio-
 nem belli Gallici 5,600 □ & 11,000,000 In-
 colas; pace Tilisensi retinuit 2798 □ cum
 5,570,000 Incolis. 13) *M. Britannia & Hy-*
bernia in 5958 □ censet 15,000,000 Inco-
 larum; *Ditiones accessoriae* complectuntur
 circiter 100,000 □ milliarum. 14) *Russia*
 post unionem *Finniae* continet 34,000 quad.
 millaria in his 42,000,000 Incolarum. *Fin-*
nia sola adæquat pene 5000 quadrata mil-
 liaria, quæ 850 non pluribus Incolarum mil-
 libus repleta; 15) *Imperium Turcicum* seu
Ottomannicum habet 47,000 quad. e quibus
 ad *Europam* referuntur 11000, Incolae uni-
 versim 19,000,000; quorum ad summum
 8,000,000 *Eurapae*, 9000,000 *Asiae*, 2 mil-
 liones *Aegypto* adscribuntur. 17) *Sveciae*
 territorium efficit 14,804 quad. in quo

3,000,000 Incolæ inclusa tamea Pomerania, Finnia &c. 17, Dania in 9708 quad. mill. ambitu numerat 2,463,000 Incolarum.

Roma de 12. Iulii. — Disarium Capitolii de 10 h. m. plura Decreta continet Consultorum sequentis argumenti: Tribunal Inquisitionis abrogatur & sacrum Officium. Archiva sigillo ocluduntur & extra usum ponuntur; omnis Jurisdictio Romana tam in Civilibus, quam Criminalibus, politica castigantis, & simplicis, in urbe Roma & territorio Pontificio a 1. Aug. abrogata declaratur, prout & quævis secularis Jurisdictio Cleri secularis & regularis; cuncta privilegia Ecclesiasticorum fori specialis, & universæ eos concernentes leges, quæ eos a Jure communi eximunt; Jus asyli locum non habet. — Erigitur Collegium cujus munus veteribus, & novis monumentis custodiendis invigilare, tectum ædis sacræ D. Petri a fulgure conservare, imagines Cel. Raphaelis adversus aeris injurias protegere &c. membrum hujus Collegii est Cel. Canova.

Nona vigesima Relatio bellica edita.

Vindobona de 22. Iulii. Generales Duces Durosnel, & Foulcr ad princeps hospitium adpulerunt. Quæ de Duce Durosnel suspicio erat, falsa comperta est, nec vulnere affectus, nec equus, cujus dorso insedit, peremptus est; verum in reditu, cum 22da Duci de Montebello jussa adferebat, ut ob dilaceratum pontem ductus suos contraheret, val-

lem prætergressus in 25 Hussaros incidit, quos excubias nostras putabat; tum primo hostes esse animadvertit, cum ii jam manus ei inieissent. Cum diu nullum de eo nuncium allatum sit, interiisse ferebatur.

Generalis agminis Reynier imperio copiis Saxonis præest, & Posonii præsidium tenet.

Mareschallus Macdonald cum copiis suis profectus est ad castrum Græcium occupandum, quod hodie ingredi eum oportuit.

Sus Maj. quotidie matutinis horis festivi Praetorianarum Cohortium actibus interest. Velites & Granatarii Italicae Praetorianae turmae præstante specimine se commendarunt.

Princeps Joannes Lichtenstein redux Buda die 18 Suae Majestati propositus attulit litteras ab Imperatore Austriae.

B I O G R A P H I A

Spallanzani (*Lazarus* Presbyter) Professor historiae naturalis olim Regii, & Modenae, membrum plurium domi forisque eruditarum societatum. Excelluit Physices doctrina. Ejus tentamina circa negotium Concoctionis, propagationem ranarum, & observationes de proprio vesperilionibus sensu, notatu dignae sunt. Per sua *Itinera* (*Viaggi alle due Sicilie in alcune parti dell Appennini 1772*) quae in germanicum quoque versa, gratum munus eruditae fecit. Plena sunt novis singularibus observationibus, & detectionibus, geologicis, & mineralogicis disceptationibus. Obiit nocte 10. & 11. Feb. 1799 intercedente, an. 71 ætatis.